

proferremus de quiete præsentis. Placuit etiam antequam a te, qui majores dioceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari. Quid autem sit quod senserimus, scripto nostræ mediocritatis subjunximus.

III. At id primo in loco de vita nostra atque utilitate tractandum fuit: ut quia unus pro multis mortuus est et resurrexit (*Rom. v.*), ab omnibus tempus ipsum ita religiosa mente observetur, ne divisiones vel Dissensiones in tanto obsequio devotionis possint exurgere. Censemus ergo Pascha Domini per orbem totum una die observari. De his quoque, qui quibuscumque locis ordinati fuerint (1) ministri, in ipsis locis perseverent. De his etiam, qui arma in pace projiciunt, placuit abstineri eos a communione. De circissariis (2) agitatoribus qui fideles sunt, placuit eos quam dñi (3) agitant, a communione reparari. De his qui in infirmitate sunt constituti, et credere volunt, placuit eis manum imponi. De præsidibus autem qui fideles sunt, et ad præsidium consiliunt, ita pla-

schismatis causam judicando, decerneremus). Placuit etiam ante scribi ad te, qui majores dioceses tenes, et per te potissimum omnibus insinuari quod a nobis iudicatum atque definitum est.

(1) Observat Sirmondus ministrorum nomine subdiaconos inferioresque clericos hic designari: maxime cum nominatim de diaconis et presbyteris, qui solent loca sua mutare in quibus ordinati sunt, ejusdem concilii canone 21 decernatur, ut si se ad alium locum transferre voluerint, deponantur.

(2) Hic circissarii a circæ dicti, vocantur in Eliberitani concilii canone 4, aurigæ, quia nimirum quadrigas in circæ agitabant. Unde in ipso canone 4, qui nunc summam perstringitur, sicut et in Arelatensis II, canone 20, iidem simpliciter agitatores appellantur.

(3) Ita Sirm. ac vetus codex Corb. Labbeo autem agunt præferenti favere videtur Arelatensis II concilii canon 20, ubi legitur: De agitatoribus sive theatricis, qui fideles sunt, placuit eos, quamdiu agunt a communione separari; necnon istud Eliberitani concilii can. 62; Si auriga et pantomimus credere voluerint, placuit ut prius actibus suis renuntient. Qui si facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Ecclesia. At cum in duobus illis locis non de circissariis seu aurigis solis, quorum proprium est equos agitare, sed etiam de theatricis seu pantomimis sermo sit, verbum agere vel facere, quod utrisque commune est, recte usurpatur.

cuit, ut cum promoti fuerint, litteras quidem accipiant ecclesiasticas communicatorias; ita tamen, ut in quibuscumque locis gesserint, ab episcopis ejusdem loci cura de illis agatur; et si cœperint contra disciplinam agere, tunc demum a communione excludantur. Et de iis quidem qui in republica agere (1) volunt similiter. De Afris (2) autem quod propria sua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis hæreticus venerit, interrogent eum Symbolum; et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu sancto esse baptizatum, manus tantum ei imponatur (3). Quod si interrogatus Symbolum, non responderit Trinitatem hanc, merito baptizetur, etc. Tunc (4) tædians jussit omnes ad suas sedes redire. Amen.

(1) Hoc est, magistratum aliquem gerere: quod sub ethnicis imperatoribus interdictum erat, quia fidelibus hoc officio fungi, maxime in ludis ac muneribus publicis curandis, sine ulla idololatriæ labe vix ac ne vix quidem licebat.

(2) Vetustus codex Corb. necnon Morbac. et unus Colb. in ipso concilii canone 8 loco verborum De Afris, habent De Arriis, et prædictus ms. Corb. manu 2 De Arrianis, quod alter Colb. etiam 1. manu exhibet. Sed optime monuit Sirmondus non mutandum De Afris: cum Arrii seu Arriani necdum noti fuissent. At apud Afros etiamnum multi ab opinione Cypriani non recesserant: et ipsi Donatistæ lapsos, tametsi baptizatos in Ecclesia catholica, rebaptizare non timebant. Quocirca schismatis eorum auctor Donatus a Casis nigris, teste Optato, a Melchiade fuit damnatus, quod confessus sit se rebaptizasse et episcopis lapsis manus imposuisse. Hunc autem rebaptizandi morem præsertim in Africa obtinere ita notum erat, ut inter statuta quæ recens ordinatus epi copus, ex præscripto Gelasii papæ, accipiebat, diu retentum sit istud: Afros passim ad ecclesiasticos ordines præteritentes, nulla ratione suscipiat: quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpius sunt probati.

(3) In ipso concilii canone hic additur ad accipiendum Spiritum sanctum.

(4) Supple, Constantinus imperator, de quo sermo haud dubie habitus fuerat. Hoc autem tædium imperatori huic perperit Donatistarum etiam ab Arelatensis synodi iudicio ad ipsum appellantium pertinacia, ut ipsemet in epistola, qua episcopos qui synodo interfuerant, ad suas sedes reverti permittit, testificatur.

APPENDIX.

VARIA DUBLÆ AUCTORITATIS SCRIPTA.

CAPITULUM SANCTI SILVESTRI PAPÆ.

(*Conc. coll. Mansi.*)

Si quis filiam, aut sororem ex sacro fonte vel christumate in conjugio sociaverit, dividantur, agant pœnitentiam annis 5 (1).

DECRETUM SANCTI SILVESTRI PAPÆ.

(*Indidem.*)

Constituimus et anno 324 præsentis decreto censemus ut in primis paternaliter vocentur et per septem

(1) Ex addit. ad Burchard. in manuscripto codice Luc.

Dies expectentur, nullius ecclesiasticæ rei interdicta licentia. Huic vero expectationi iterum addantur dies septem, interdicta licentia ecclesiam intrandi, et omnia divina officia audiendi. Post vero adjiciuntur duo dies a pace et communione sanctæ Ecclesiæ suspensis; deinde vero aliis duobus diebus sub eadem expectatione rei deportentur. Quibus uno die superaddito, omni expectatione veluti jam desperata, reus mox anathematis gladio feriatur (1).

(1) In codice Vaticano Palatino 574, in quo continetur collectio quædam conciliorum, legitur etiam sub hoc titulo: — *Constitutio apostolicæ sedis.* « Silves-

CENSURA

DUARUM EPISTOLARUM SEQUENTIUM.

(Const. Append., p. 51.)

I. *Duæ illæ epistolæ a Petro Crabbio primum editæ sunt ex vetusto libro Coloniensi. Ambas simul Baronius reperisse se ait in duobus exemplaribus Cresconianæ collectionis : sed primam dumtaxat Annalibus suis ad ann. 325, n. 171, inserendam duxit, de sequenti hæc subjecisse contentus : Huic habetur conjuncta Silvestri epistola ad synodum, sed mendosissima, quæ et ob consules perperam positos commentitia reputatur, utpote quæ data et accepta habeatur sub consulatu Constantii quarto cum Constantini octavo vel septimo, qui est ab hoc annus quintus. Quamquam anno quinto a Nicæna synodo, hoc est 329, non Constantius, sed frater ejus senior Constantinus quarto cum Constantino patre octavo consulatum gessit : sed anno 325, Constantius primum, non quartum, cum Constantino septimo consulatum iniit. De eadem epistola Labbeus, to. II Concil. pag. 58, ita censet : Nec sincerum est hoc responsum, quod commentitium et mendosissimum VERE dixerim, et non tantum FERE, ut Binius.*

II. *Neque primam idem Labbeus existimavit sinceriores, utpote, inquit, cujus stylus suppositionem arguit cum temporis nota. Eam re ipsa tanto concilio indignam esse cum sola lectio persuadeat, inde quisque magis ac magis convincetur, ubi illam cum altera genuina ejusdem concilii ad Alexandrinam aliasque ecclesias contulerit. In hac quippe primo simpliciter salutem dicunt episcopi Nicææ congregati et ad magnum sanctumque concilium convocati, ac deinde quid a se gestum quidve definitum sit explicant. In illa vero salutem dicit post Osium Macarius Jerosolymitanus episcopus, Alexandro Alexandriae et Eustathio Antiochiæ episcopis, qui prius appellandi fuerant, prorsus non nominatis, nec quidquam postea de iis, quæ decreta fuerant, exponitur. Istud autem eo minus tacendum erat in hac epistola, quod ideo a synodo scripta fingatur, ut rerum a se gestarum confirmationem peteret. Ait quidem Baronius ad ann. 325, n. 171 : Cum his litteris missum fuisse decretum fidei et reliqua in synodo gesta, certum est. Ejusque assertionem ex parte firmant Dionysius Exiguus atque canonum compilatores Dionysii ævo non inferiores, quatenus Nicæna synodo placuisse notant, ut omnia, quæ statuta sunt, ad urbis Romæ episcopum mitterentur. Sed assentiri nequimus asserenti, hæc omnia cum iis litteris missa esse, in quibus nihil missum memoratur : id enim taceri in hujusmodi litteris non solere consuetudo docet.*

ter episcopus universis episcopis per Gallias, et septem provincias. Placuit apostolicæ sedi, ut si quis ex quolibet ecclesiastico gradu, etc., et est totum primum caput epistolæ 5 Zosimi papæ, sed pro metropolitani Arelatensis, ut ibi legitur, substitutum est Metropolitanus Austodunensis; et pro Patroclo, legitur Retitio. Simili fraude in ms. S. Floriacensi eadem Zosimi epistola Silvestro tribuitur, et ad Viennensem Ecclesiam traducitur apud patrem Constant. in Append. tom. 1, epist. Rom. Pontif. col. 55. Ita Balzerini fratres in dissert. de Antiq. Collect. Canon. part. II, cap. 10, § 5.

A III. *Sed neque desunt notæ, quibus hæc synodi Nicæna epistola Silvestrique rescriptum ex ea officina, ex qua superius Constitutum, prodiisse deprehendantur. Parem utique in illis offendimus sermonis barbariem : eisque communes sunt quædam locutiones, quæ quo magis singulares, eo minus dubitare nos sinunt quin ortum ex eodem cerebro habeant. Porro quemadmodum Constitutum, ut ipse titulus præ se fert, gradus vel religio qualiter a Silvestro custodiatur, decernit, ac subinde, cap. 3, de hoc papa dicitur, Fecit GRADUS : ita in epistola ad Silvestrum legimus, eum decere GRADUS vel ordines constituere urbis. Rursum eadem epistola, ubi occurrit, Sicut docet mystica veritas, cum his consentit Constituti cap. 3 : Sic datur mystica veritas. Item animadvertimus in memorata Nicæna synodi epistola, FIXOS gradus, in Silvestri rescripto, Confirmo sigoque chrisimatis vos sanctam accepisse gratiam, in ejusdem papæ Constituto, n. 4, FIXAS cortinas, et cap. 11 : Quidquid sermone FIXERO, vestro chirographo confirmetur. Ex hoc autem loco, ubi chirographus pro subscriptione ponitur, intelligere est illud Silvestri ad Nicænam synodum rescribentis, Meum chirographum et discipulorum meorum offero. Demum in eadem epistola, quemadmodum in Constituto, Victorinus eandem ob causam iisdemque verbis, quia cyclos Paschæ pronuntiabat fallaces, culpatur. Sic infirmum illorum fetuum parens omnino latere nequit, utpote quem sua ipsius loquela manifestum faciat. Conjecturas nostras, quibus hunc Symmachi papæ temporibus vixisse suspicamur, jam non semel proposuimus.*

EPISTOLA

NICÆNÆ SYNODI AD SILVESTRUM PAPAM.

(Indidem.)

Ut quicquid constituit ab eo confirmetur.

Beatissimo papæ urbis Romæ cum omni reverentia colendo Silvestro, Osius, episcopus provincie Hispaniæ civitatis Cordubæ, Macarius, episcopus urbis Jerosolymitanæ, Victor et Vincentius, presbyteri urbis Romæ ordinati ex directione tua (1), et cæteri episcopi cccxviii, in Domino salutem.

Quoniam omnia (2) corroborata de divinis mysteriis ecclesiasticæ utilitatis, quæ ad robur pertinent sanctæ Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ, ad sedem tuam Romanam explanata et de græco redacta scribere confitemur : nunc itaque ad (3) veræ fidei augmentum accurrimus roborari. Itaque censeat vestra apostolica doctrina episcopos totius vestræ apostolicæ urbis in unum convenire, vestrumque habere concilium : sicut docet mystica veritas (4), confirmet nostra sancita, ut gradus fixos connexa ordinationi tuæ sanctimoniam nostra possit habere regula : quoniam decet numerum dicioꝝ coepiscoporum a te discere

(1) Ita Baron. At in aliis libris salutatio seu inscriptio hic desinit.

(2) Apud Baron. corroborantur divinis mysteriis ecclesiasticæ utilitatis causa.

(3) In edit. concil. ad vestræ sedis argumentum.

(4) Sic Baron. At alii libri, ut firmetur nostra sanctimonia, gradusque fixos vel textus ordinationis tuæ.

gradus (1) vel ordines constituere urbis. Quidquid autem constituimus in concilio Nicæno, precamur vestri oris consorcio confirmetur. Oret beatitudo tua pro universo concilio. Data 8 kalendas Julias, accepta 13 kalendas Novembris Paulino et Juliano summis consulibus.

EPISTOLA

SEU RESCRIPTUM SILVESTRI AD SYNODUM NICENAM.

(Coust. App., p. 54.)

Silvester episcopus sedis apostolicæ et sanctæ Ecclesiæ catholicæ reverendæ religionis urbis Romæ, fratribus et coepiscopis, qui in Nicænum concilium convenerunt, in Domino salutem.

Gaudeo promptam vos benignitatem servare. Nam et confirmo figoque (2) ad doctrinæ vestræ reclamantes de mysterio vel unitate Trinitatis, chrismatis vos, secundum dicta et doctrinam evangelicam, sanctam accepisse gratiam : de quo examinationis probo vera fuisse et esse mansura, quæ in vestrum nostrumque manavere mysterium, meum chirographum et discipulorum meorum offero, in vestro sancto concilio quidquid constituistis, una parem dare consensum. Atque in gremio vestræ synodi parva propter disciplinam Ecclesiæ alligabo præcepta, propter Victorinum, qui arbitrio suo quidquid vellet affirmabat, et cyclos Paschæ pronuntiabat fallaces, et cum episcopis totius urbis Italiae examinatam universitas vestri sancti concilii dignetur accipere unitatem. *Et alia manu* : Oret pro nobis beatitudo vestri sancti concilii trecentorum decem et octo, ut charitatis, quæ vobis data est, Domini nostri Jesu Christi servetur augmentum. Data 5 kalendas Novembris, accepta 4 idus Februarii Constantino septies et Constantio Cæsare quarto consulibus.

ALTERA S. SILVESTRI EPISTOLA AD NICENAM SYNODUM.

(Conc. I. II, p. 721.)

PRÆMONITIO COLLECTORIS.

In Vaticano codice 1542 geminæ istæ apocryphæ epistolæ continentur; adjungitur et tertia, quæ secundo loco ibidem extat, quam cum in collectionibus nemo hucusque inseruerit, ideo hic addenda est, prout profertur a Ballerini in opere sæpius laudato, pag. 190.

Incipit epistola Silvestri episcopi ad concilium Nicænum directa per Abundantium presbyterum et Abundantium diaconum consulatu Paulini et Juliani 12 kal. octobris

Beatissimis fratribus sanctis et coepiscopis, vel compresbyteris, qui congregati sunt in Nicæno concilio Silvester episcopus præsul apostolicæ et catholicæ urbis Romæ in Domino salutem.

Gloriosissimus atque piissimus filius noster Constantinus Augustus cum constitutionibus sanctimonii vestri auribus suis intimata cognosceret, una nobis Domino nostro Jesu Christo jubente cum affectu sus-

(1) Apud Baron. gradus conformes conscendere Verbi. Quidquid.

(2) Hoc est adversus eos, qui reclamant et repugnant doctrinæ vestræ de mysterio vel unitate Trinitatis. Deinde chrismatis loco, magis placeret unctionis, scilicet spiritualis.

cipimus, et fidem rectam atque declaratam universo orbi pandit introitum. Hoc sciret (scilicet) charitati vestræ credidimus intimandum concilium a nobis congregatum in diœcesi nostra contra Victorinum episcopum et Hippolytum diaconum, qui claruerunt Manichæorum consortio, et Jobianum, et Calixtum, qui in sua extollentia dicebant non pascha venire die suo, nec mense, sed 10 kal. maii custodiri. Quos damnatos, et ejectos extra Ecclesiam et excommunicatos omnis mundus cognoscat. Qui in concilio sedis apostolicæ cognitione vulgata pollui sensibus suis non recte nosse tacuerunt, et scelesti perpetrare compositionum innocentum execranda pollutione damnatos. Et quia in secessione funesta ipsi sibi morte præventi ultimo die ausi sunt pollutionem sacerdotii sua ordinatione relinquere quod infirmari ab hominibus sanctis et consacerdotibus nostra prædicatione et apostolicis doctrinis præcipimus damnari, contra Photium et Sabellium maxime et Arium anathemate percussus (F. percussos vel percussum) quasi vestro ore confirmantes damnamus; et quidquid in concilio Nicæno civitatis Bithyniæ constituistis pro veritate (F. Universalis) Ecclesiæ moderatione pari forma custodimus : libra ponderatione censeatis. Dat. 6 kal. jan. *Et alia manu* : Dominus noster Jesus Christus vos conservare dignetur, sancti et coepiscopi fratres.

CENSURA OPUSCULI SEQUENTIS.

(Coust. App., p. 55.)

Concilium hoc Petrus Crabbe duabus epistolis proximis subnexuit, sed præposuit Constituto superiori, quod Romano in concilio ante Nicænum habito editum fingitur. An ex uno eodemque exemplari quatuor illa monumenta descripserit, non declarat. Hujus artificem a cæterorum architecto diversum esse sermonis discrepantia innuit. In hoc quippe nec barbaries, nec obscuritas eadem apparet. Neque in sermone solum, sed et in decretis rebus inter hoc atque alterum Romanum concilium quædam est dissensio, uti fidem faciunt quæ in utroque constituuntur de tempore, quo clericus in unoquoque gradu, prius quam ad alterum promoveatur, permanere debeat. Postremum hoc cum libri pontificum auctori, tum Isidoro Mercatori ignotum fuit. Suspectum evadit vel ex ipso titulo, in quo præsertim Constantino habitum dicitur; cum apud Baronium atque eruditos in confesso sit, Constantinum Roma tunc abfuisse. Baronius lapsum putat librarii, qui quod cap. 1 de Nicæna synodo memoratur, ad hanc imprudens retulerit. Quis etiam sibi in animum induxerit, cclxxv episcopos tum convenisse a Silvestro vocatos, cum neque id facile, neque necessarium fuerit. Præterea titulus capituli 3 indicat ibi subnexum fuisse statutum, quo concilia ter in anno celebranda esse decernebatur. Quod si ita est, quis admittendum putet illud concilium, quod cum idcirco maxime congregatum dicatur, ut quidquid Nicææ constitutum est confirmet, ab ipsius tamen definitione de synodis bis in anno congregandis statim recedat. Quocirca tametsi ultro largiamur Silvestrum statim a concilio Nicæni celebratione synodum convocasse, in qua

predicti concilii acta confirmavit, atque ex hac forsitan synodo collecta esse decreta, quæ hic subjiciuntur; vicissim tamen dandum est ipsam collectionem, cujusmodi ad nos pervenit, adulterinum nonnihil præ se ferre, quod ei inter sincera et authentica summorum pontificum scripta, quæ fidem faciant, locum dare non sinit, quoad castigetur atque idonea auctoritate fulciatur.

EPISTOLA

seu relatio concilii quod sanctus papa Silvester celebravit, præsentem Constantino Augusto, in urbe Roma intra Thermas Domitianas cum cclxxv episcopis, qui in ipsa synodo convenerant vocati a beato Silvestro.

Indidem.

I. Quidquid actum est Nicææ confirmatur.

SILVESTER episcopus sanctæ et apostolicæ sedis præsul (1) urbis Romæ dixit: Quidquid in Nicæa Bithyniæ constitutum est ad robur sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ a sanctis sacerdotibus cccxxviii, nostro ore conformiter confirmamus. Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti et magni concilii, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi et venerandi principis Constantini augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes: Placet.

II. De Paschæ solemnitate.

Omnibus episcopis et presbyteris præceptum est Paschæ observantiam custodire (2) a luna xiv, usque ad xxi, ita ut Dominicus dies coruscet. Et dixerunt episcopi: Placet.

III. De conciliis ter in anno celebrandis (3).

Silvester episcopus dixit: Robustius duximus con-

(1) Vocabulum præsul in edit. concil. Lupar. et Lab. omittitur.

(2) Innocentius I ignotum sibi fuisse hoc decretum haud obscure docet, cum ad Aurelium Carthaginensem episcopum hac de re scribens, dicere satis habuit; *Quoniam in xxiii luna nullum Pascha unquam, ante hoc Pascha, factum esse cognoscimus.* Alioqui dicendum ei fuerat, Pascha luna xxiii, minime celebrandum esse, quoniam ex Silvestri præscripto ultra lunam xxi, hoc festum excurrere non debeat. Dionysius Exiguus epist. 1, apud Bucherium pag. 487. Pascha a luna xiv, ad xxi, seu quod idem est, a die xiv ad xxi, celebrandi præceptum ad divinam auctoritatem refert: *Tanta hac auctoritate divina claruit, primo mense xiv die ad vesperum usque ad xxi, festivitatem paschalem debere celebrari.*

(3) In edit. concil. Lupar. et Lab. nullius codicis auctoritate suppresso hoc titulo, proximum caput cum superiori copulatum est, quia videlicet in illo de synodorum celebratione nihil habeatur. Revocan-

SEVERINI BINII NOTÆ.

Concilium. Postquam imperator jam recens baptizatus Ecclesiam donativis munificentissime locupletasset, hoc concilium a Silvestro pontifice indictum impensis necessariis piissime promovit, eo fine, ut publicam quamdam gratiarum actionem pro accepto beneficio Deo ageret, et Christianæ pietatis encaenia primus Christianus imperator summo omnium gaudio celebraret. Ducenti octoginta sex episcopi a pontifice convocati, ab imperatore vehiculis adducti, et liberalissima annona sustentati, convenerunt Romæ in Thermis Trajani, quem locum Silvester pontifex nuper in titulum crexit, donisque plurimis Imperator

asilium, si placet, ut omnis episcopus, qui convenit ad consilium, fidem suam chirographo confirmet: ut deinceps rediens (1) ad parochiam suam, compagine nostræ salutationis plebi suæ innotescat, ut fide concilii declarata, intemeratus ordo servetur. Et dixerunt episcopi: Placet.

IV. Nulli clerico licere causam in publico examinare.

Silvester episcopus dixit: Nulli omnino clerico licere causam quamlibet in publico examinare (2), nec ullum clericum ante judicem laicum stare. Et dixerunt episcopi: Placet.

V. De præficiendis in ordinibus et proficiendis.

Si quis ad clericatum promoveri (promoveri) desiderat, hoc justum est ut sit ostiarius annum unum, lector annos xx, exorcista annos x, acolythus annos v, subdiaconus annos v, diaconus annos v, et si (forte sic) ad honorem presbyterii accedat; et faciens in eo ordine annos vi, si fuerit omnium votiva gratia, non præmio, non invasione cupiditatis, nulli prorumpens (præripiens) gradum, sic ab omni ecclesia eligatur consecrandus episcopus, nullo de membris Ecclesiæ intercedente (intercedente), et omni Ecclesia conveniente. Et dixerunt episcopi: Placet.

VI. De ordinationibus et neophytis non ordinandis.

Ut nulli episcopo liceat, sine cuncta ecclesia, a novissimo gradu usque ad primum ordinare neophytum. Et dixerunt episcopi: Placet.

Silvester episcopus dixit: A nobis incipientes, moderamine lenitatis, indicare commonemus, ut nulli episcopo liceat quemlibet gradum clerici ordinare aut consecrare, nisi cum omni adunata ecclesia, si placet. Et dixerunt episcopi: Placet.

EPILOGUS BREVIS

ALIUS CONCILII ROMANI SUB SILVESTRO PAPA HABITI.

(Conc. t. 1, col. 1542.)

Temporibus sancti Silvestri papæ, et Constantini putamus titulum, ut subjectum capitulum non integrum esse lector admoneatur.

(1) In quodam catalogo Romanorum pontificum, qui penes nos est, Xystus I, dicitur constituisse, ut quicumque episcopus evocatus fuerit ad sedem Romanam apostolicam, rediens ad parochiam suam non susciperetur, nisi confirmata salutationis plebe a sede apostolica. Quæ verba concilii hujus artifex imitatus esse jure videatur.

(2) In superiori pseudo-concilio Romano seu epist. xi (ubi ex hoc uno capitulo duo conficiuntur, scil. 15 et 16) hic additur, nisi in ecclesia; ubi publicum pro foro laico, ecclesia pro foro ecclesiastico usurpatur.

exornavit. Accidit id, quod ex ultimo capitulo constat, Crispo et Constantino iii consulibus, anno Christi nati 324, qui est Silvestri 11, et Constantini imperatoris 19. Unde quod principio epilogi auctor incertus aperte scribit, hanc synodum post absolutam Nicænam, Romæ in præsentia Constantini imperatoris celebratam esse, surreptitum est: quod præallegato canone vigesimo, Priscus loco Crispi collega Constantini ponitur, mendosum esse, ex Fastis constat. Causa conveniendi hæc erat, ut Ecclesia ab hæreticorum et hostium incursum libera servaretur, et quæ ad disciplinam pacemque ecclesiæ

lini piissimi Augusti, factum est magnum concilium in Nicæa Bithyniæ, et congregati sunt regulariter ejusdem Silvestri papæ vocatione in idipsum trecenti decem et octo episcopi catholici, qui exposuerunt fidem integram, catholicam, immaculatam, et damnaverunt Arium Photinum, Sabelliumque, atque sequaces eorum. Eodem quoque tempore, et 15 kal. Juliarum die, quando memoratum concilium magnum, in Nicæa congregatum est, canonica jam facta papæ vocatione in urbem Romam congregavit et ipse, cum concilio præfati Constantini Augusti, ducentos sexaginta septem episcopos, et damnavit iterum tam Calistum, quam Arium, et Photinum, atque Sabellium, et constituit ut presbyterum Arium resipiscentem nemo susciperet, nisi episcopos ejusdem loci eum reconciliaret, et sacrosancto chrismate, per episcopalis manus impositionem, sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret. In qua et consensu et subscriptione omnium constitutum est, ut nullus laicus (2, quæst. 7) crimen clerico audeat inferre. Et ut presbyter non adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non

A acolythus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam (item, 2, quæst. 7), non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur præsul (2, quæst. 5), nisi in 72 testibus. Neque præsul summus a quoquam judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus super magistrum*. Presbyter autem cardinalis, nisi quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus cardinarius constitutus urbis Romæ, nisi in 26 (imo 57) non damnabitur. Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nisi (sicut scriptum est) in septem testibus non damnabitur. Testes autem et accusatores sine aliqua sint infamia, uxores et filios habentes, et omnino Christum prædicantes. Testimonium laici (11, quæst. 1) adversus clericum (leg. clerici adv. laic.) nemo recipiat. Nemo enim clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesia. Nemo enim clericus, vel diâconus, aut presbyter, propter quamlibet causam intret in curiam, nec ante judicem cinctum causam dicere præsumat: quoniam omnis curia a cruore dicitur, et immolatione simulacrorum. Et si quis clericus, accusans clericum, in

SEVERINI BINI NOTÆ.

ticam conservandam necessaria erant, instituere. Ideoque primæ actionis exordio Hippolytum diaconum Valentinianæ hæresis sectatorem. Calistum Sabellii hæresi maculatum, et Victorinum episcopum, qui receptos ab Ecclesia paschales cyclos redarguere præsumpsisset, damnarunt. Quæ reliquis canonibus constituta sunt, fere omnia ad hierarchicum clericorum ordinem spectant. Quod in hac synodo de Ario et Ariana hæresi, quæ orientalem ecclesiam annis aliquot ante lapsis plurimum exagitant, nulla mentio fiat, ea de causa contigisse videtur, quod pontifex et imperator anno sequente, majore cum apparatu et numero episcoporum totius orbis, concilium œcumenicum Nicææ in Oriente communi consensu congregare decreverint eo fine, ut ubi immortalis odio, et obstinata pertinacia ab Ariani digladiatum esset, ibi sanctorum episcoporum cœtus sacrosancta Dei castra, ad impietatem eorum oppugnandam, firmiter collocarent. Vide Baronium anno 524, num. 125 et sequentibus.

Romanum. Patres ducentos octoginta quatuor in thermis Trajani, ubi Silvester titulum a Constantino præclare dotatum erexit, convenisse supra diximus. Roma, quæ jure caput mundi appellata est, qualis olim ac etiamnum nostro tempore urbs sit, præclare admodum et erudite reverend. D. Georgius Braunius in celeberrimo et insigni suo theatro urbium his verbis declarat: *Roma domina et regina urbium, totiusque mundi caput, quem vere universum fortissimorum virorum rebus præstantissime gestis suo imperio subegerat. De primis ejus conditoribus tam multæ et variæ sententiæ quam diversi scriptores inventiuntur. Et infra: Communior fere omnium sententia est, Romam a Romulo dici. Et paulo post: Tota ejus area ad tantam amplitudinem devenit, ut in circuitu collegisse dicitur viginti millia passuum, quæ quinque fere Germanica milliaria efficiunt. Regionibus quatuordecim quondam dividebatur. Portas suburbiorum et urbis in universum numero viginti quatuor fuisse refert Plinius. Livius autem ponit triginta septem. Turres imperio florente circum urbem erant 754. In quibus cum ita res ferret, præsidia collocabantur. Nunc turres solummodo 365. Portæ viginti quinque supersunt, etc. Fertur de Constantio imperatore, quod is campum Martium cum admiratione inspiciens sepulchrum Augusti*

Cæsaris, tot æreis atque marmoreis simulacris ornatum, forum Romanum, jovis Tarpeii delubra, thermas, porticus, amphitheatrum, Pantheon mira altitudine spatiosis molibus formatum, templum pacis; Pompeii theatrum, circum maximum, tot arcus triumphales, tot aquæductus, tot statuas per urbem ad ornatum positas, obstupuisse ac tandem dixisse: Naturam omnes vires in unum urbem effudisse. Tiberis fluvius a septentrione urbem ingreditur, et ex latere meridionali Ostiam versus effluit. Sed quid plura de tanta tamque magnifica urbe commemorem? in qua legitimus et ordinarius sancti Petri successor, maximus Ecclesiæ catholice pontifex residet, venerandæ sanctorum apostolorum et martyrum cernuntur reliquiæ, ubi jus Christiano orbi præscribitur. In qua denique suavissima: Musæ universam Græciam deserentes, sedem ac domicilium invenerunt; ut verissime Cicero de Natura deorum, lib. III, tradit: Quemadmodum nihil in universa rerum natura mundo, sic in terra Roma nihil melius, nihil præstantius inveniri. Hæc de Roma Georgius Braunius beatæ Mariæ Ub. Colon. ad gradus decanus.

Epilogus brevis sequentis concilii Romani. Sunt qui auctoritate hujus epilogi, duo concilia post Nicænum Romæ sub Silvestro habita fuisse existunt: verum cum eadem, quæ a ducentis octoginta quatuor patribus, canonibus viginti, constituta sunt, ab auctore epilogi hujus summam ac breviter recenseantur; et quod de Photinianis hæc synodo condemnatis scribitur, plane falsum sit, ut ex notis Sirmiensi concilii infra patebit; non alicujus quarti, sed solius secundi Romæ sub Silvestro habiti res gestas ab auctore incerto hic descriptas contineri, verius esse putamus. Baronius anno 525, num. 201. In collectione Isidori Mercatoris hic habetur titulus: *Incipiunt excerpta quedam ex synodalibus gestis sancti Silvestri papæ.*

D Photinum. Cum ex actis Sirmiensi concilii Photinum longe post hæc tempora damnatum esse constet, hujus epilogi initium quod præfationis loco auctor incertus vero Romano concilio n præfixit, ad hæc usque verba, et constituit ut presbyterum, de mendacio suspectum redditur. Reliqua quæ subjunguntur, ab eodem germano concilio Romano assumpta sunt, et in compendium redacta.

curiam introiverit, anathema suscipiat. Hic inter cætera prædicta omnium consulto constituit in synodo ut sacrificium altaris non in serico panno aut tineto quispiam celebrare præsumeret, sed in puro lineo ab episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto, sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone (1) munda sepultum fuit. Et si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, ut esset prius ostiarius, deinde lector, et postea exorcista, per tempora quæ episcopus constituerit, deinde acolythus annis quinque, subdiaconus quinque annis, custos martyrum annis quinque, diaconus annis quinque, presbyter annis tribus, probatus ex omni patre in tantum, ut etiam ab his, qui foris sunt testimonium habeat bonum unius videlicet uxoris vir, quæ tamen a sacerdote sit benedicta. Et si probatus fuerit dignus, et vota populi et cleri concurrerint, canonicè episcopus consecratur, quem postea nec clericus, nec populus perturbare debet: quia episcopi, qui throni Dei vocantur, non sunt lacerandi, sed magis portandi et venerandi. De quibus ait B. Paulus apostolus: *Seniorem ne increpaveris, sed ut patrem obsecra*. Legimus namque, ipso Domino dicente, non esse discipulum super magistrum, hoc est non sibi debere quemquam, ad injuriam doctorum, vindicare doctrinam, nec aliqua machinatione Domini discipulis, id est apostolorum successoribus detrahare, aut eos infamare; quia injuria doctorum ad Christum pertinet, cujus vice legatione funguntur. Qualiter enim Dominum constrirent, qui hoc agere præsumunt, Dominus (al. Dominicus sermo) in Evangelio testatur (Matth., xviii). Ait enim ipse Salvator, quod expediat scandalizanti unum de pusillis istis, in maris profunda demergi, et molam asinariam

(1) *De consec.*, dist 1, apud Gratianum. ubi sindon lineæ dicitur.

A collo ejus suspendi. Si talis ergo pœna Domini di cupulos scandalizantibus hic promittitur, quid in futuro eis provenire debeat summopere pensandum est; quoniam non parum periculi illis manere poterit ante Deum qui hæc detrectant suis exhibere ministris. Quod ita denum probari poterit, si Deum timeant, qui talia exercere minime formidant, si imposito sibi improbo silentio, a talibus se deinceps custodiant: quia nihil prodest homini reliqua bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur et ab obtreptionibus lingua colibeatur. Unde ait propheta (*Psal. xxxiii*): *Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo et fac bonum*. Nemo enim bonum faciens, alteri verbo aut facto nocere vult. Et reliqua. Hic in memorata synodo constituit omnium cum consensu, ut nullus presbyter missas celebrare præsumat (*De consec. dist. 1, Nullus presbyter missas*), nisi in sacratis ab episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse sacerdotii. Et pietatis affectu hic sanctissimus papa sub gesta synodica revocavit apostolica auctoritate multos ab aliis episcopis excommunicatos, et a tyrannis ejectos, ad communionem, et restituit eos in ecclesiis, quibus fuerant olim instituti, sub satisfactione libelli, atque purgatos eos recepit, dans exempla futuris eruendi sacerdotes de persequentium manibus. Constituit etiam, nulla ratione (98, *distinct. Nullus aliqua ratione*) transmarinum hominem penes nos in clericatus gradu suscipi, nisi quinque (*quinque et eo amplius*) episcoporum designatus sit chirographis.

Præmonitio ad lectorem, in sequentem synodum.

C Ex duobus vetustis exemplaribus canones sequentes descripti sunt ad verbum, qui multis in locis ob exemplarium depravationem aut vix, aut omnino non possunt intelligi. Lector boni consulat, et si quid potest habere certius, communiect.

CANON

VEL CONSTITUTIO (1) SILVESTRI EPISCOPI URBS ROMÆ,

ET DOMINI CONSTANTINI AUGUSTI, QUALITER ECCLESIASTICI GRADUS CUSTODIANTUR, VEL RELIGIO.

(*Conc. t. I, col. 1514.*)

Tituli canonum.

I. De congregatione episcoporum, vel diaconorum. — II. De condemnatione Callisti, Victorini, Hippolyti. — III. Per singulos gradus, ut nullus crimen objiciat. — IV. Ut de rebus Ecclesiæ quatuor partes fiant. — V. Ut nullus presbyter chrisma conficiat. — VI. De diaconis paræciarum, et diaconis cardinalibus urbis Romæ. — VII. Ut a subdiacono usque ad lectorem, omnes subditi sint diacono cardinali urbis Romæ. — VIII. Ut nullus subdiaconus ad nuptias transeat. — IX. Nullus lector, nullus acolythus vasa sacrata contingat. — X. Nullus episcopus virginem sacram maritali consortio benedicat. — XI. Ut nullus ex laica persona ab honore acolythi usque ad episcopatum eleveatur, nisi per singulos gradus. — XII. Nemo det pœnitentiam, nisi quadraginta annorum. — XIII. De mysterio quodam. — XIV. Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat. — XV. Nemo clericum in publico examinet. — XVI. Ut nullus clericus vel diaconus aut presbyter, propter causam suam intret curiam. — XVII. Ut nullus peccantem clericum cæde attingat. — XVIII. Ut nullus diaconus adversus presbyterum crimen afferat. — XIX. Ut nullus presbyter a die presbyterii sumat conjugium. — XX. Ut nullus dijudicet primam sedem justitiæ.

ACTIO PRIMA.

Editio prima.

CAPUT I.

Canonum constitutio, gradus vel religio qualiter custodiatur, a Silvestro episcopo urbis Romæ, domino Constantino. Eodem tempore cum multi nobiles gauderent, quod Constantinus baptizatus a Silvestro episcopo urbis Romæ, et mundatus fuisset a lepra, pro beneficio quod accepit a Domino nostro Jesu

Editio secunda.

CAPUT I.

Eodem tempore cum multi nobiles gauderent quod Constantinus baptizatus a Silvestro urbis Romæ, et mundatus fuisset a lepra, per hoc beneficium, quod accepit a Domino Jesu Christo per Sylvestrum episcopum, cœpit integre prædicare Dominum Jesum Christum, et confiteri ejus beneficia. Silvester igitur

(1) Supposita videntur Hincmaro ac plerisque viris eruditis xx ista capita, quæ Isidorus suæ collectioni intexit